

## Die Urkunden Ludwigs II., 56

In nomine domini nostri Iesu Christi dei aeterni. Hludouicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus sacerdotum ac servorum dei, quas nostris auribus insinuaverint, libenter annuimus et eas cum dei auxilio ad effectum perducimus, non solum imperiale exercemus consuetudinem, sed etiam hoc nobis tam ad praesentis vitae prosperitatem quam ad futurae beatitudinem adipiscendam non minimum augmentum adferre confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae et nostris tam praesentibus quam et futuris Paulum sanctae Placentinae ecclesiae episcopum per Angilbergam coniugem nostram et consortem imperii nostri nostrarae innotuisse munificentiae, quatenus ab antecessore suo Seufredo eiusdem sanctae sedis episcopo et avunculo suo caeptam fuisse canonicam sacerdotum et reliquorum ordinum aedificare nostra etiam permissione, sed minime valuisse usque ad perfectionem perducere pro eo, quod subtractum fuisse ab hac luce. Sed quia praefatus episcopus Paulus eandem canonicam in opus sacrorum ordinum perficere decreverat, secundum quod Seufredus disposuerat, dum adhuc viveret, petiti nostram excellentiam, ut super hoc opus nostrum adderemus auctoritatem, ut in circuitu iam saepe dictae canonicae et domibus clericorum atque famulorum tam prefatae ecclesiae quamque et canonicae liceret ambitu murorum circumvallare, ut liberius et quietius pro nobis et pro totius imperii nostri statu mererentur domini misericordiam iugiter implorare. Quia vero semper opportunum est, ut servorum dei solamen et auxilium feramus, idcirco secundum petitionem praefatae coniugis nostrarae et praetaxati episcopi licentiam tribuimus et per hanc nostrarae liberalitatis auctoritatem praefatae ecclesiae et praesulibus ipsius corroboramus et concedimus, ut liceat saepe dictam canonicam, quae cohaerere videtur domui ipsius ecclesiae, undique muniri, tam murorum aedicia quamque et aliorum instrumenta, secundum quod per tempora melius praeviderint et deliberaverint, ita sane, ut, si etiam necessitas incubuerit, per muros antiquos civitatis tam domum quamque et reliqua structura canonicae atque famulorum ibidem famulantium muniantur atque perficiantur, sicuti res ipsius ecclesiae domui coniunguntur circumcirca, ob augmentum mercedis nostrarae. Praeterea si aliqua publica via nostro iuri pertinentem inventa fuerit, ut obsistere possit ad ipsum aedificium, ne sub hac occasione id munimen servorum dei remaneat [.....], concedimus praefatae ecclesiae ipsam viam et de nostro iure iuri ipsius ecclesiae et praefatae canonicae conferimus perpetualiter obtinendam et, secundum quod melius praeviderint, aedificium peragendum. Mercata quoque, unum, quod congregari videtur Ramis palmarum iuxta ecclesiam sancti Antonini et circumquaque, et alterum missam sancti Syri non procul ab ipsa ecclesia et tertium, quod celebratur missam sancti Laurentii super rebus ipsius ecclesiae non longe a corte Plectolis, secundum vestram petitionem confirmamus eidem ecclesiae et corroboramus; ita sane, ut neque in veniendo neque in redeundo ullam redhibitionem neque aliqua vectigalia a quolibet rei publicae minister exigere aut aliquam molestiam cuilibet homini ad eadem mercata occurrenti inferre praesumat; sed liceat iam dicta mercata cum reliqua, quas a reliquis antecessoribus nostris collata sunt, iam saepe dictae ecclesiae quieto ordine possidere et secundum libitum eiusdem sanctae sedis praesulibus ordinare ac disponere omni remota publica vexatione. Illud praeterea mercatum, quod celebratur missam sancti Antonini, secundum statuta antecessorum nostrorum inviolabiliter a cunctis ministris rei publicae observetur. Reliqua vero per octo dies celebrantes nullam omnino inquietudinem vel diminutionem aut violentiam a quolibet rei publicae exactore patiantur. Praecipientes ergo iubemus et iubendo praecipimus, ut in sancta Placentina ecclesia nullus

comes nullusque iudex vel quaelibet iudicariae potestatis persona in causis et rebus supra dictis aut in pleibus seu monasteriis titulis aliisque ecclesiis vel domibus seu urbanis vel rusticis possessionibus placita tenere, massarios et colonos et aldiones vel servos quosque residentes super res ad predictam sanctam ecclesiam pertinentes quolibet modo astringere pignorare angariare, census et donaria exigere nullo modo praesumat, sed liberos massarios, quos legalis coactio exigit quaerere ad placitum, per patronum seu [.....] advacatum ad placitum ducantur, ut legalis diffinitio legalem contentioni finem imponat. Haec etiam in omnibus liberis et arimannis praefatae ecclesiae filiis et in eiusdem diocesis comitantibus massariis et colonis observari omnimodo iubemus, videlicet ut ab eis [nec] donaria [aut] redhibitiones neque pignorationes vel iniustae distictiones exigantur, sed unusquisque, cum legalis censura exigit, a patrono suo ad placitum deducatur, ne pignorationis occasio aditum rapinae depraedoribus in aliquo praestet. Si quis autem huius nostrae auctoritatis confirmationis atque immunitatis praeceptum irrumpere aut violare tentaverit, XII ponderum auri obrizi nec non etiam immunitatis semel promulgata paenam XXX lib. argenti probatae monetae publicae componere compellatur saepe dictae sanctae Placentinae ecclesiae vel rectoribus ipsius. Et ut haec auctoritas pleniorem in dei nomine obtineat firmitatem et a fidelibus sanctae dei ecclesiae verius credatur diligentiusque conservetur, manu propria subter eam firmavimus et annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum (M.) domni Hludouici serenissimi imperatoris augusti.

Giselbertus procto notarius ex iusu imperiali scripsi.

Data VIII idus ianuarii, anno Christo propitio imperii domni Hludouici serenissimi imperatoris XXVIII, indictione quinta; actum Marinco corte imperiali; in dei nomine faeliciter amen.